

**Dissertatio medica, inauguralis, de tussi convulsiva / Quam ... pro gradu
doctoratus ... eruditorum examini subjicit Thomas Galley, Anglo-Britannus.**

Contributors

Galley, Thomas, -1786?
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie ..., 1785.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jkca44bf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

61497/P

(P)

DISSERTATIO MEDICA

IN AUGURALIS,

DE

I C T E R O :

Q U A M ,

ANNUENTE SUMMO NUMÍNE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

P R O G R A D U D O C T O R I S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E G I I S
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

Eruditorum examini subjicit

F R A N C I S C U S G A R D E N ,
S C O T U S .

Prid. Id. Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I :

A p u d B A L F O U R , A U L D , e t S M E L L I E ,
A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

M,D C C,L X V I I I .



316 836

FRATRI SUO DILECTISSIMO

ALEXANDRO GARDEN, M. D.

CAROLOPOLI IN CAROLINA MERIDIONALI

MEDICO PERITISSIMO,

IN STUDIIS SUIS FOVENDIS ET PROMOVENDIS

PATRONO LIBERALISSIMO,


OB INNUMERA ADVERSUS SE PIETATIS EXEMPLA,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

GRATO QUO PAR EST ANIMO,

SACRAS VULT:

NEC NON,



NEC NON,
PRAECEPTORI SUO SPECTATISSIMO,
JOANNI HOPE,
MEDICINAE ET BOTANICES
IN ALMA ACADEMIA EDINBURGENA
PROFESSORI EXIMIO,
COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS SOCIO,
ET
SOCIETATIS REGIAE LONDINENSIS SODALI,
MORUM ELEGANTIA ET PROBITATE
ORNATISSIMO,
ET PER PLURIMA ET MAXIMA BENEFICIA
ERGA SE OPTIME MERITO,
HOCCE TENTAMEN,
GRATI ANIMI TESTIMONIUM,
OFFERT
DEVOTISSIMUS
FRANCISCUS GARDEN.



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30385040>

DISSERTATIO MEDICA

DE

ICTERO.

DE DEFINITIONE.

PERLEGENTI de Ictero scriptores nihil magis mirum mihi visum est, quam ejusdem rei definitionum tanta varietas.

Cujus quae sit causa difficilior est dictu, nisi quod, partim ad definiendi pleraque difficultatem, partim ad discrepantes, ut sit, de morbi natura et origine opiniones, referendum utique videtur.

DEFINIENDI autem morbos negotium nulla res magis conturbavit quam discrepans scriptorum consuetudo; qua nullam in signis, unde definitiones traxerint, discernendis legem certiorem sibi statuerunt. Quin et interdum definitiones genericas, sive omnes species complexas, ex affectibus qui non perpetuo et in omnibus speciebus, sed casu tantum-

A modo

modo et in paucis adparent, acceperunt, et signi etiam loco haud raro ipsam causam posuerunt.

Ego celeberrimo viro SAUVAGESIO, boni ordinis praecipuo auctori, assentiens, a signis certis et manifestis definiendum esse judico. Quod tamen hac in re fatis erit arduum, uti mox ex historia morbi patebit. Neque, si nullum mihi signum perpetuum definienti adhibere licet, quod in plerisque morbis accidit, ideo quicquam obstat, quo minus summa illa signorum quae omnibus fatis speciebus constat, ad definiendum adhibeatur. Certe, si haec culpa est, raro eâ ars nostra vacavit.

D E F I N I T I O.

ICTERUS est, ubi totum sumnum corpus magis minusve, tunica oculi adnata maxime, flavescit; ubi stercus plerumque albescit, raro naturalem colorem refert; ubi urina per quam flava aut fusco-rubicunda est, et linteum immersa croceo colore imbuit. Quod si morbi proiecti ulli notae locus in definitione dandus est; ad modo enumerata addi forsitan potest, postquam aliquamdiu morbus fuit, cutis colorem in viridem et flavum vel nigrescentem aliquando verti.

H A E C

HAEC definitio Galeniana haud multum dissimilis est; nisi quod ille icteri causam definitione quoque comprehendit: Nam “Bilis “in cutem refusa,” inquit, “facit ut sum-“mum corpus luteo colore tingatur, cutis vi-“tietur, et albae ventris fiant dejectiones.”

Quae definitio, licet minus exacta, tamen et aliis plerisque, et Sauvagesianae, anteponenda est. SAUVAGESII icterum definientis haec verba sunt: “Aurigo est scleroticae primum, “deinceps vero totius cutis, color flavus aut “ejus viror.” Quibus quidem verbis, ille non solum icterum, sed quamcunque cutis flavedinem, est complexus, et mea quidem sententia sine justa causa. Nullam enim similitudinem nativam, nullum vinculum commune, inter varios casus ubi cutis flavescit, video, quare omnes ad unum genus cogendi videantur. Quin, si quibus hominibus sanis, quales totae gentes sunt, summa corpora flavescent, ii omnes hac morbi definitione comprehenduntur. Neque, quibus per alias morbos, exempli gratia, chloroticis puellis, aut pueris vermibus affectis, viredine aliqua cutis summa tingitur, ii eadem icteri definitione excipiuntur. De qua re fusius postea, in discriminibus hujus morbi tradendis, acturus sum.

N O M I N A.

PLEROSQUE juvenes, qui hujusmodi disputationes in laureae medicae petitione conscripferunt, a nomine morbi incepisse, deinde definitionem ejusdem tradidisse, animadverto. Quod non faciendum eo judicavi, quod in omni re quam scribendo pertractas, cum ignota adhuc lectori vel res ipsa vel sententia tua ponenda sit, eum prius, quid et quale sit quod tracturus sis, deinde quibus forte nominibus nuncupatum sit, commonefacere et naturalius et melius videtur.

HIC morbus diversis nominibus notatus est; quorum alia ex vario cutis colore, alia a proposita curatione, originem traxerunt. Itaque MORBUS ARCUATUS dictus est, quia varii cutis colores Irim seu Arcum Coelestem referre videbantur. Item flavedo, aureo colori similis, AURIGINIS nomen ei imposuit. Denique victus lautioris curationi apti opinio, ut REGIUS appellaretur morbus, effecit *; postremo, ICTERUS nominatus est, incerta origine vocabulum: In quod autem inquirere, neque operae pretium, neque praesentis est consilii. Quo tamen vocabulo, in futuro sermone,

uti

* Corn, Cels. cap. 24. p. 167.

uti decrevi; quia usus ejus minus arbitrarius est, et frequentius nunc a scriptoribus adhibetur.

HISTORIA MORBI.

MULTITUDO icteri causarum remotarum facit, ut, quae ex omnibus his causis et ex aliis alia oriri possint in unum omnia colligere, et plenam ab omni parte historiam contexere, difficillimum sit. Praecipue autem cum aliis saepe morbis icterus conjungitur: Unde quoque ambigua nonnulla nascuntur; quae omittenda judicamus, quia in simplice ictero apparentia ad morbum intelligendum satis esse videntur; et, si plura comprehendenterentur, periculum foret, ne alienos pro icteri effectibus, et confusam hujus notionem, traderemus. Quin et, in simplice etiam morbo, variantia nonnulla quae ex causis diversis aliquando oriuntur, legentium judicio permittemus; et contenti erimus, ea quae et maxime omnibus causis communia sunt, et plerumque incidunt, complecti.

OBTUSUS in jecoris regione dolor icteri fere praenuncius est; quem gravedinis et tensionis circa praecordia sensus, item torpor, ariditas,

riditas, et totius corporis pruritus, plerumque sequuntur; fitis aliquando magna est; sudor vix moveri potest. Post quae, in oculi tunica adnata flavedo brevi cernitur, quae et in urina aliquanto, quam in naturali fana, major est. Procedente morbo, hypochondrii dextri dolor sensim intenditur; quem summa in toto corpore laffitudo, sopor, spirandi difficultas, ciborum fastidium, concoctio prava, et oris amaritudo, comitantur.

His nausea frequens, plerumque vomitum trahens, supervenit *. Jamque color flavus, primum vultui, collo deinde et cervicibus, tum universo summo corpori, suffunditur. Urina emissâ crassum et subnigrum aliquid ad imum vas dejicit, et linteum pannum luteo colore tingit. Stercus plerumque album aut cineritum aliquando nigrescit; nunquam naturalis coloris est, nisi post lenimen aliquod. Huc morbo proiecto, alvus semper est adstrictior; diversa intus abdominis loca dolent, idque extrinsecus saepe intumescit.

HOMO frequenter singultit. Objecta oculis flavescere, saliva quasi croceo tincta, videntur. Et, quicquid ore assumptum est, gustatu amarum

* Baron Van Swiet. com. in aph. Boer. tom. 3. p. 131.

rum sentitur *. Circa hoc tempus, Icterus deinde Niger adpellari solet; nam cutis summa nigrescit, aut mixto colore virescit et flavescit; urina fusca admodum aut nigra est. Tument pedes, ac inter cutem aqua ubique est †. Jamque saepe numero venter nigra sola reddit. Quibus turbis etiam in majus crescentibus, e medio miser tollitur. Per totum qui supra comprehensus est cursum, si idiopathicus icterus est, arteriarum percussus vix a naturali sanorum ordine decedunt.

ICTERI ET ALIORUM MORBORUM DISCRIMINA.

VERUM, ut ante dictum est, icterus non semper solus sponte oritur, seu idiopathicus est; sed aliis quandoque morbis nascitur, et alias insuper, quam quae supra comprehensae sunt, notas quoque profert. Quas etiamsi, ob causam supra propositam, non prosecuti sumus; tamen, quia quatenus ad icterum pertinent, nostra saltem definitione comprehensae sunt, nolim existimari eas omisisse, quasi, non ad icterum, sed ad diversa morborum genera, esse referendas judicarem. Contra, prudens praeterii,

* Frid Hoff oper. tom. 2. p. 301.

† V. S. Com. in Aph. Boer: tom. 3. p. 131.

terii, et ob dictam causam, et quia in aliis morbis apparentes cum iis commodius explicandae videbantur, ut talium morborum effectus. Verum, in quibusdam morbis prorsus ab hoc diversis, et a diversa origine ortis, flavus cutis color et alia signa veri icteri sunt, a quibus icterus est necessario distinguendus. Hujusmodi sunt febris putrida, chlorosis, et nonnullorum animalium ictus seu morsus venenati.

Febris Putridae.

AD febrem putridam referto biliosam remittentem, flavam Indorum Occidentalium qui dicuntur, et nonnullas alias a scriptoribus memoratas, quae neque genere neque specie, sed vehementia tantum, inter se differre videntur. In iis, cutis universa flavescit, et ictero persimile lotium adparet. Sed oculi tunica adnata, non prius quam summum ubique corpus, flavescit. Item, stercus plerumque admodum flavum manet, solvitur alvus, et vomitus tum confsans tum biliosus est: Quae quidem has febres satis ab ictero idiopathicō distinguunt. Ubi symptomaticus, ut aiunt, incidit,

cidit, ad alios morbos quorum effectus est, ut supra dixi, ejusdem rationem relegabo.

Chlorosis.

IN chlorosi, summum quidem corpus icterico fere colore est; sed neque oculi tunica adnata sic imbuitur, neque ullus hujus morbi tempore linteola urina croceo colore tingit. Quae discrimina, cum satis manifesta sint, ideo, quantum in definiendo erraverit SAUVAGESIUS, nunc facile demum videre est.

Morsuum Ictuumve Animalium.

POST multorum animalium, uti viperarum, aranearum quarundam, et interdum canum rabidorum, morsus, flavedine cutis suffunditur. Quae tamen in hoc differt, quod a parte vulnerata incipiens, ad vicina ac interdum per corpus late serpit. Sed neque urina neque oculi adnata tunica inficitur. Quae hos morbos ab ictero satis quidem secernunt. Quin et, eisdem prorsus sua natura ab ictero esse diversos, et a causa proxima diversa pendere, observationes, licet nondum satis adcuratae, nuper fidem fecerunt.

HAUD tamen nescius sum, verum icterum e vulneribus ab ante dictis animalibus illatis oriri nonnullos etiam nunc pro certo habere, neque id posse esse eo inficias. Sed fallaciam in scriptorum de hac re testimoniiis fieri posse contendeo, et factam esse suspicor; propterea quod ad mali caufam parum animum adjicerent.

Ii illam opinionem sc̄ amplecti aiunt, quia universae cutis flavedinem, sciurorum et aliorum animalium non venenatorum morsus fecutam, observaverint. Ideoque, non a veneno, quippe quod nullum subeffet; sed propria icteri causa, talem cutis speciem ortam esse dic-titant.

QUIBUS ego sic contra respondeo, univer-sam cutis flavedinem minime esse icteri veri, quemque supra definivi, signum: Quod, si quando et reliqua signa quae supra ictero propria esse dicta sunt, ex ullorum animalium morsibus oriuntur, ea vere icterica esse, haud invit-us fateor; eoque magis, quod et a vera cau-fa icterica oriri mox demonstrabo. Contra, ex aliorum animalium morsibus ortam summae cutis flavedinem ab ictero alienam esse, con-tendo, et ob supra posita discrimina, et quia illam a diversa caufa esse mox ostendam.

POSTQUAM

POSTQUAM eo icterus processit, ubi Niger adpellari solet, et morbi facies multum jam mutata est; tamen per signa praeeuntia, in quibus nullum fallaciae periculum est, satis certo discernitur.

C A U S A P R O X I M A.

QUI pro ictero quamlibet cutis flavedinem habuerunt, necessario plures morbum continentes seu proximas causas finxerunt: Nobis, qui biliosum prorsus hunc morbum constitui-
mus, simplex causa placet. Est autem ea “ Bi-
“ lis jam secreta et sanguine rursus resorpta.” Ex qua re etiam clarius eorum error patet, qui, ex hac causa non pendentes morbos, icte-
rum esse voluerint; siquidem, quod ex diversa
causa proficiscitur, etiam diversum sit, et di-
versa efficiat, necesse est. Non igitur ex vulneribus plerorumque animalium aut aliunde
ortam flavedinem cum hoc morbo conjungen-
dam recte docuisse videor.

REMOTÆ autem causae sunt quaecunque
bilem in duodenum excerni prohibent.

C A U S Æ

C A U S Æ R E M O T Æ.

BILEM in duodenum exire prohibent, aut extrinsecus ductum hepaticum solum vel communem choledochum prementia et occludentia; aut intra ductum nata, et exeunti bili obstantia. De quibus ordine loquar.

EXTRINSECUS premunt vicinorum viscerum tumores, sive in inflammatione consistentes, sive hanc, quales duri sunt, sequi confueti.

NAM suppuration rarius viscera inflammata sequitur; quorum praecipuum jecur est, quod, quandoque totum inflammari, totum cum duritie tumescere, sine ictero effecto, potest. Verum, si lobulus Spigelii seu pars alia aliqua cavi ejusdem sic afficitur, partes tumefactae ductum recta prementes, iter bilis impediunt, aut ductum prorsus occludunt, atque tum demum icterum certum inferunt. Idque pariter in inflammationis, ac duro, tumore incidit. Quin et omnia abdominis viscera inflammationi et ejus finibus pariter opportuna sunt; unde sua unumquodque vice icteri causa, modo tumor eorum ductus attingat, esse potest; ut omnia enumerare supervacuum foret, cum et in

in promptu cuiquam ad animum adcurrant, et fusius a scriptoribus tradantur. Solumque dicendum est, pancreas, et ob vicinitatem, et quia prae reliquis duris tumoribus obnoxium est, prae reliquis icteri originem esse*; eundem, in pregnantibus foeminis uterus auctus†, item sterlus in colo impactum et durescens, premendo, facere dicuntur.

ALTERA extrinsecus a nonnullis causa additur, scilicet, ad ductus communis exitum in intestino duodeno opposita colluvies. Quae in adultis, an unquam icterum facere possit, aut quo modo faciat, incertus sum; nisi quod, si in illa intestini parte ulla colluvies haeret, eam, ob ductus sub finem exilitatem, quo minus libere bilis exeat, os ductus occludendo, prohibere posse conjicio; quanquam, visceris situm et naturam respiciens, non multum periculi esse judico. In infantibus, meconium retentum plerumque icterum, sed cito et sponte plerumque medicabilem, facit.

LONGE vero frequentissima icteri causa sunt impedimenta intra ipsos ductus nata, quales calculi biliares sunt; qui etiam evidentissimi omnium causarum ictericum malum inferunt.

In

* Mead. Praecept. et mon. med. cap. 9. § 1.

† Van. Swiet. tom. 3. p. 96.

In omnibus humani corporis cavis, praesertim quae humores stagnantes capiant, ut in vesica urinaria, ductibus salivam vehentibus, et similibus, hujusmodi res concrescunt. Quod si qua testimoniis fides sit, in omni corpore inveniuntur. Quae concreta, cum tot locis communia sint, ideo quoque ad causam ubique communem, scilicet sanguinis naturam, referenda censeret. Verum, et morbidorum corporum inspectio, et multa extra corpus experimenta capta, et rationis similitudo, non e sanguine protinus, sed ex muco cava obliniente, eorum materiem praeberi, et saepe magnam eorum partem componere, ostendunt. Sed et ipsa bilis, omnium nostrorum humorum maxime ad concreendum tendit. Ipsum jecur, vesica fellifera, ductus hepaticus, ductus communis choledochus, calculis omnia saepe abundant. Qui numero, figura, duritie aut mollitie, adeo varii cernuntur, ut vel enumere varietatem ex proposito me justo longius raperet: Igitur dixisse ero contentus, eos omnium duritiei generum, a luto mollissimo ad durissimum crystallum, nec minus varia figura, esse repertos. Idem, si non semper, saepe inflammabiles sunt, et igni adpositi cerae instar liquefcunt; flavo colore sunt, quo aquam etiam imbuunt;

imbuunt; sapore bilioso, et acri admodum natura: Hae bilis proprietates, eam formandis calculi aptam esse, ostendunt. Nihilo tamen minus verum, mucum maximam calculi partem esse, alia ante comprehensa probant. Quibus notis adeo conspicuis, concreta biliosa ex omnibus aliis quae in hominibus fiunt, clare dignoscuntur. Bilis vero naturam aut concreendi causas indagare, alienum a meo proposito est; nec meum solum, sed, ni fallor, omnium ingenium supra. Hoc tantum dicam, has partes, tum ob jecoris situm, tum secretionis naturam, tum muci oblinientis visciditatem, tum denique stagnationem diuturnam, ipsis concretis praeceteris periclitari.

BOERHAAVIANUS lensor hic quoque inter causas icteri remotas positus est; qui mihi, perpenfis ejus opinionis rationibus, minime est probatus: Nam, si bilis quoque viscida fingitur, absorptio, causa icteri, haud facile sequetur. Quam ob causam, et quia nullis, quae novi, signis subesse, talis in jecore viscidus humor dignoscitur, nec ullum medendi consilium suppeditat, causarum icteri remotarum numero ejiciendus mihi visus est.

AD supra memoratas causas duae adtexendae sunt, quae, ut ad neutras prorsus redeunt, ita utrisque mixtae et quasi mediae videntur;

videntur; eae sunt spasmus, et ipsorum ductuum concretio. Ille, ductus adstringendo, quasi extrinsecus premere videatur; sed, quia ipsi partis corpori insidet, tanquam pro interna causa haberri possit. Haec, quia fere ab humore glutinante aliquo, et ipsa bile praecipue ductui inserta, originem trahit; si uno gradu processeris, erit externa; si intra hunc substitueris, interna aut anceps fiet. De spasmo prius loquar.

CAUSIS icteri remotis plerique scriptores spasmodum adnumerarunt; alii addubitarunt aut negarunt, et rationibus adversariorum visa in cadaveribus opposuerunt. Utrique probabiliter et acriter differuerunt. Quorum lites exponendo, bonum tempus nolo consumere, aut ullam sententiam confidentius interponere. Tantum, quae mihi probabiliora fuerint, paucis exponam. Merito mihi spasmus locum inter causas icteri vindicare videtur; sive icterum in aliis morbis exortum, quam facile, et saepe sine ulla alia evidente causa, solus faciat reputo; sive morbum exortum, remediis antispasmodicis solis saepenumero tolli video. Quin et in calculo subesse eundem plerique fatentur; nec negaverit quisquam, qui tam icterum, quam ipsam demum mortem, ex calculo minimo ortum, in cada-
veribus

veribus toties exploratum noverit. Quo magis verisimile est, spasmum posse icterum facere. E contrario, multi ductus biliferos nulla tunica musculosa cinctos, ideo spasmum capere nequire, objiciunt. Sed, hoc non esse, et ductus omnes excernentes et vim contractilem possidere, et stimulantibus rebus moveri, experimentis exploratum est.

PRÆCIPUE, ductus communis choledochus, inter duodeni tunicas, priusquam hujus internam tunicam perfodiat, per spatium aliquantum, exiguus admodum, repit: Atque ideo, spasmo hysterico vel hypochondriaco, oppido opportunus est. Qua ex causa icterum revera saepe oriri, innumerabilia in rei medicae annalibus extant testimonia. Porro, ubi, ut saepe fit, animi perturbationes icterum protinus faciunt, quae verisimilior causa ejus rei quam spasmus est?

Hoc in casu, calculum subesse, et, occasione gravioris motus oblata, in ductum decidere posse, objici contra potest. Quin, calculos in vesica fellea et ductibus multo saepius latitare quam quisquam somniarit, experimentis etiam concedo. Verum e contrario, ex solis animi turbis, cum neque ante neque post, ullum calculi signum, diligentissimis viris observantibus,

adpareret, icterum natum contendō: Quod aliter ac per spasmum fieri non potuit. Est igitur hic icteri haud dubitanda causa.

CONSTITUTO igitur, bilem secretam et sanguine resorptam esse proximam icteri causam, et spasmum, ductus constringendo, id efficere demonstrato; quemadmodum, nonnullorum animalium morfus icterum efficere possint, manifestum est. Metus enim vulneris animum perturbat; quae perturbatio, ut aliis in casibus, aliis corporis partibus, ita in hoc spasmum ductibus per vim nervosam infert. Neque alioquin, qua ratione noxa summa corpori illata ductus biliferos angustaret aut occluderet, facile animo concipiendum est. Causa autem flavedinis ex venenatis morsibus ortae videtur esse feri suffusi sub cute mutatio. Unde iterum patet SAUVAGESIANUS et nonnullorum aliorum error, qui omnem summi corporis flavedinem pro ictero vero habuerunt.

Ex ductu communi, vel hepatico, concrescente icterus aliquando certe nasci potest, licet apud nullos quos novi scriptores agnoscatur talis causa. Id ita fieri potest, quod nihil tale medici suspicati, aut suis parum rationibus convenire opinati, ideo vel nunquam

quam vel rarius in cadaveribus incisis scru-
tari confuerunt.

EGREGIUS vero vir Praeceptor noster MON-
ROIUS, sese in cadavere ductum communem,
ubi in intestinum duodenum exit, concrevisse
et mortis causam fuisse, animadvertisse nobis
dixit. Quod igitur, iter bilis interrumpendo,
mortis causa fuit, nonne eadem icteri esse po-
test?

AD opiniones de ictero jam consideratas,
duae res, de quibus magnae controversiae fue-
runt, ad ejusdem naturam porro percipiendam,
restant inquirendae; primo, An bilis in jecore
fecernendae deleta potestas icterum efficere
queat? 2do, An idem icterus, ductu cystico solo
occluso, nascatur? Ab utraque icterum esse
origine, nonnulli scriptores opinati sunt.

AD primam quaestionem statuendam, dictum
est, sanguinem ad jecur perductum natura pe-
culiari ad bilem faciendam esse praeditum,
et materiem bilis multo magis, quam a-
lium quemvis, praebere. Quae opinio nullis
argumentis idoneis nititur, ac pondus nullum
habet. Physiologorum enim nunc plerique
et optimi, nullam sanguini dum ad orga-
num fecernens iter facit, sed in solo organo
ipso, in ipso secretionis articulo, incidere mu-
tationem;

tationem; nec, in quo viscere sanguinem explores, quicquam referre; sed in omnibus eum semper eundem reperiri, uno ore contentiunt. Neque partes quidem eum constituentes, nisi proportione, inter se variare usquam cernuntur. Non igitur sanguinem in jecore icteri causam esse posse, dicendum est; eoque magis, quod totum jecoris corpus, sine ullo icteri signo, corruptum esse, totum duro tumore occupatum, innumerabilia visa probant. Jure ergo, ad bilis jam secretae, intercepto ad duodenum itinere, refluxionem, tum proximam, tum hanc facientes causas, retuli.

QUOD ad alteram attinet quaestionem; ductum cysticum occlusum facere icterum, tunc temporis creditum est, cum, ob partium harum ignorantiam, de bilis in vesicam felleam itinere admodum addubitaretur.

QUIPPE eo tempore ex morbidorum inspectione increbuerat opinio, ductus cysti-hepaticos quosdam esse quibus ad vesicam bilis transiret; quae opinio physiologos multum fellit. Sed cultior anatomia et multiplex cadaverum inspectio, nullos hujusmodi ductus in nobis esse sine dubio sancivit. Jamque quicquid bilis in vesica reperitur, id eo omne per regurgitationem ferri, neque bilem hepaticam

ticam inter et cysticam quicquam, nisi liqui-
dioris partis absorptionem, interesse, inter
physiologos constat. Quin et contra opinio-
nem, quae ductum cysticum occlusum icteri
originem ponit, hoc praeterea memorabile est,
quod ne una quidem historia in medicinae an-
nalibus extat, ubi icterus ex solo ductu cysti-
co occluso originem traxisse dicitur. Quo-
circa, icterum ex hac causa non exoriri, si non
verum, veri certe simillimum est.

SYMPTOMATUM EXPLANATIO.

CUM causae remotae icteri et conditiones
corporum eo affectorum adeo varient, ut ef-
fectus earum, seu partes aut symptomata quae
dicuntur morbi, varia quoque natura sint, et
fusiore earundem explicatione opus sit, ne-
cessse est.

BILIS in intestinis defectum plurius icteri
facere, scriptores multi crediderunt. Quod
non incidere eo discimus, quod, ut supra pos-
tum est, saepe totum jecur, sine ulla talium af-
fectuum nota, induruuisse est compertum. Ergo
ii affectus sic explicandi non videntur.

ET licet ad cibos nostros digerendos per-
quam necessariam esse bilem vix negari queat;
tamen,

tamen, quo modo id faciat, nondum adeo constat, ut quid ejus absensis sit effectum explanari satis possit. Nam experimenta, quae debilis ut et plurium secretorum natura capta hactenus sunt, adhuc ad eam explicandam minime sufficiunt.

TRES usus bili tribuuntur. Primus aquae cum oleo mixturam adjuvans; alter ingesta ex acido in alcalescentem seu animalem statum commutans; tertius stimulans, qui motum intestinorum peristalticum percitat, et ftercus ita promovet *.

PRIMAM ei proprietatem tribuit opinio, quae bilem salina et alcalescente natura esse, et oleo junctam, saponem facere, constituit. Secunda iisdem argumentis nititur. Sed JOANNES PRINGELIUS Eques, bilem esse prorsus saltem neutrum, et fermentationem ciborum nostrorum quae intus fit promovere, demonstravit. Unde veri quidem simile est, duas priores de quibus modo relatum est proprietates bilem possidere, sed falsa cogitatione explicatas. Quod ad tertium ejus usum attinet, absente bile, alvi duritiem sequi verissimum est. Idque fieri necesse est, vel ob bilis stimu-

li

* Dr Ramsay Dissert de Bile.

li defectum, vel quia sine ea alimenti mutatio non satis procedere potest. Quibus bilis praecipuis quae innotuerunt proprietatibus expositis, ad affectuum in ictero adparentium rationem reddendam deinceps procedamus.

Dolorem in jecoris regione obtusum, et circa praecordia distensionem et ponderis sensum, bilis exitus in duodenum interclusus, et ipsa in ductibus suis accumulata, hos distendendo et vicinarum ideo partium tensionem augendo, facit.

Sapor et spiritus difficilis, ob ductuum et partium vicinarum distensionem, ac proinde humores toto jecore abundantes, fiunt. Sic enim venae magnae vicinae premuntur, septi transversi actio impeditur, sanguinis motui obsistitur, et praeter solitum hujus pars magna ad caput derivatur. Procedente utique morbo, quia jam bilis plus sanguine absorbetur, et minus in jecore stagnans, minus etiam quoquoversum premit, leniuntur illi affectus.

Quin et, abdominis cum tumore dolor, ex eadem causa nascitur.

Singultum eadem efficere potest; cuius tamen verisimilior causa est spasmus quem remotis

motis icteri causis adnumeravi. Itaque, quoties singultus icterum comitatur, toties spasmum esse vel ejus solam causam, vel cum aliis conjunctam, suspicarer. Quid enim est, si non spasmus, alterna illa diaphragmatis actio quam singultum adpellamus? Neque eo inficias quin ex pressione oriatur. Sed ea ut subito sit plerumque oportet; ut in cibis subito in ventriculum demissis quotidie videtur; qui, nisi subito demissi, singultum non efficiunt, ac tum quoque per spasmum agere videntur. Item aliae res, quae subito admotae spasmum, etiam singultum inferunt; qualis aqua frigida, subito epota, est. Quod quoque effectum quotidiana experientia docet. Postremo, quae-dam animi affectiones, valens p[re] caeteris aliorum spasmorum causa, hujus quoque frequentissima origo, aliae remedia esse reperiuntur. Quod autem, tensionem posse singultum inferre, ob-jici possit, id fieri posse non inficior. Hoc tantum dico, si origo icterici singultus tensio esset, cum haec satis constans sit, effectum, scilicet singultum, constantiorem esse debere. Neque me fugit, in vicinarum partium affec-tionibus, qualis haec est de qua agitur, ad quendam harum inter se consensum esse mo-rem

rem decurrere. Sed doctrina de consensu nimis labare, parum docere, magisque scrupulis premi, videtur, quam ut in rebus plerisque sequendam esse judicem.

Stercoris albedinem et alvi duritatem, facit biliis in intestina vel non omnino, vel minori copia, perveniens. Quippe bili proprium est flavo colore stercus imbuere, et motum peristalticum intestinorum percitare.

PORRO, cum canalis alimentarius inferior adeo tarde sua contenta transmittat, et insuetu-
to onere adeo distendatur, sequitur ut proximus ea mala ventriculus male afficiatur, ac fungi suis officiis minus deinde possit.

PRAECIPUE autem *cibi non digerentur;* quia cum magna pars digestionis in intestinis peragi debeat, et haec suum obire munus ob causam supra positam nequeant, toto huic muneri ventriculus solus, ne sanus quidem, perficiendo par est. Sed et ipse laborat pri-
mum aucta tensione; nam adeo corpora no-
stra natura librantur, ut mutata in una parte tensio aliarum tensionem mutet, aucta augeat,
imminuta imminuat. Idque p[ro]ae caeteris ven-
triculo cum intestinis est commune. Ergo
aucta onere stercoris horum tensio illius ten-
sionem necessario augebit. Quin et, praeter

D tensionem,

tensionem, ipsa infra ventriculum plenitudo, quo minus is sua contenta transmittat, prohibebit, quae altera cruditatis causa erit. Et utraque, quare tali in casu *cibi fastidium* oratur, explanabit. Addendumque ad supra dicta est, quod, procedente morbo, malus habitus ortus utrumque de quo agitur affectum adgravabit. Et omnes hae causae simul comprehensae aliarum quoque affectionum, quales

Nausea, vomitus, ac similia, sunt, rationem planam reddent.

Tunicae oculi adnatae flavescent; quia jam bilis sanguine mixta, et toto corpore sed copia adhuc minore circumlata, in his partibus rubro sanguini non perviis, primum omnium cernitur. *Urina* deinde ob eandem causam *flavescit.* Postremo, ubi fatis tandem ubique bilis in sanguine est, *flavedo* rubra vasa inficit, et in *summo toto corpore* ubique etiam adparet.

Summi ejusdem corporis pruritus ad bilem cutis nervos irritantem referri solet. Sed, quo modo id vasis contentis et sanguine diluta faciat, non recte intelligo: Nisi si exigua in summo corpore vasa majoribus esse sensibilia, quod et mihi videtur, ponas. Verum bilis particulae cum materia perspirata per summa foramina

mina dimanantes, infra cuticulam subsistentes, et extrema nervorum in cute dispersa vellicantes, mihi verisimiliorem causam suppeditant. Neque, quo minus una cum hac excreta materia bilis ablata exire credatur, quicquam obstatre video; praesertim cum in reliquis omnibus fere humoribus corpore excretis, ac praeceteris in urina, eam cernamus: Cui quidem opinioni aliquid argumento est, quod nihil per cutis foramina exire videtur, quod alias ad urinae itinera non transire, et una cum hac separari e corpore, queat. Quin et, in resoluto horum vasorum statu, bilis aliquantum cum sero sanguinis, vel etiam hoc solum va-
fis elapsum, et subter cuticulam morans, idem praestare potest.

Stercus et urina tandem subfuscata sunt aut nigrescunt; quia extremo jam in morbo bilis tantum toto ubique sanguine diffusum est, ut et hunc et universos humores per abundantiam ipsam vitiem. Et, praeter abundantiam, ipsa bilis, quam supra retuli alcalescentem statum creandi proprietas, hunc ubique auget et intendit. Unde etiam incipientis putredinis periculum. Ubi vero flavedo alioquin adparat, ea nihil putredinis habere, sed ex tingenti bile oriri existimanda est.

Aquam inter cutem, humores jam commixta sanguine bili dissoluti, totius corporis cum resolutione debilitas, sanguinis refluens mora et in jecore abundantia, item omnium secretorum imminutio, postremo pessimus omnium partium habitus, partim nervosa vi labante, partim necessitate mechanica, faciunt.

P R O G N O S I S.

ICTERI causam remotam saepe signa clare indicant, quibus exploratis, morbi futuri judicium certissimum esse potest. Itaque omnibus morbi faciebus id judicium non est accommodandum, sed diversae causae considerandae, et eodem quo supra ordine.

Si morbus cum febre et dolore vehementiore acceperit, inflammationem eum fecisse verisimile est; et ut praesagium eventus tam incertum sit, quam inflammationis fines variant, necesse est. Ergo, si diu morbus post primam accessionem permanferit, et, nulla calculi nota apparente, signa inflammationis praeierint, inflammationem in durum tumorem transiisse, et mortem citius aut serius illaturam esse, timendum est. Qui metus certior erit, si idem tumor extrinsecus supra jecur percipitur.

QUOTIES repente icterus nascitur, an ulla
alvi durities sit videndum est; nam alvi in su-
bita morbi accessione durities, stercus durum
posse causam esse, quo sublato, morbum cito
sublatum iri, significat.

Si pregnantium uteri moles morbum fecit,
in naturali causa bona de futuro spes est.

Si quando colluvies peccat, eam et levem
esse dictum est, et in infantibus praecipue aut
solum incidentem cito et sine auxilio saepe
evanescere.

NATO calculis ictero, saepe sponte, plerum-
que adhibitis remediis, et parvulis calculis re-
jectis, accessiones finiuntur; quae breves, in-
terpositis intervallis longioribus, mortis secu-
ritatem, sed recidivum malum, promittunt.
Contra, eaedem longae, nullo vel exiguo dato
intervallo, cum dolore acuto, magnum peri-
culum denunciant. Quo in casu, ductus cal-
culis plenus, ibique unus infarctus, suspican-
dus est, neque sine magno impetu propellen-
dus.

UBI spasmus, quem subesse praecedentes a-
nimi perturbationes, nulla calculi nota, praef-
ertim morbi spasmmodici, qualis hysteria aut
hypochondriasis et similia sunt, significant,
morbum

morbum aliquando infert, absque omni periculo per antispasmodica sola salus restituitur.

Si ductuum latera concreverunt, quod semper erit cognitu difficile, plerumque non cognoscendum omnino, inevitabilis est pernicies. Quantum autem conjicere liceat, forsitan ubi icterus lente accidens diu sine tumore et cum dolore fuit, nec solitis cedit remediis, latera ductuum coaluisse suspicanda sunt.

R A T I O M E D E N D I.

EXPOSITA icteri natura et causis, duo mendendi consilia succurrunt; primum, Canalium bilem ad intestina ferentium impedimenta resolvere; vel, 2do, Hujus defectum supplere.

PRIMUM rufus consilium in quinque partes dividitur. Primum enim inflammatio, ubi ea subest, est tollenda; deinde tumor amovendus; tum colluvies expurganda; denique calculi expellendi; postremo spasmus resolvendus.

UT igitur ad primam partem redeam, si jecur inflammatur, sanguinis tantum, quantum vel vires ferant, vel saeviat morbus, iterum atque iterum vena incisa detrahendum est.

POST quod, vicinia loci laborantis concidi debet, aut supra eam hirudines imponi. Per totum

totum hoc tempus, victus perquam tenuis et parcus, ex materia antiphlogistica quam maxime constans, utendus est. Cathartica lenia, qualia sunt decocta tamarinda, et senna, sal. catharticum amarum in aqua solutum, et parvis intervallis saepius sumpta, inflammationi maxime resistunt, dum sine stimulo alvum purgant, et sterlus durum impactum detrudent. Potui data diluentia ex aqua hordeata et glycirrhiza, et longius et ad libitum haufsta profundunt. Fomenta mollientia extrinsecus regioni hypochondriacae admota, mollientia ex lacte et aqua, vel aqua tepida sola, frequenter in alvum immissa, ad inflammationi mendendum multum possunt, quae et grato calore partes adficiunt. PRINGELIUS, magnum vesicatorium regioni hypochondriacae impositum multum tulisse opis, testatur.

Si supra positis medicamentis morbus non cedit, inflammatio in suppurationem, aut, ut antea dictum est, in durum tumorem abibit. Quod si suppuratio incidit, quam rarius incidere dixi, chirurgi manu opus est.

Si inflammationis finis fuerit durus tumor, in medicamentis vana saepe spes est; neque tamen alia alii non laudaverunt, et immodicis studiis quaedam specifici quod dicitur nomine donaverunt,

donaverunt, licet multiplex experientia et aegri et medici spem falsam haud raro esse in eorum usu docuerit. E quibus ubique cicuta maxime est efficax; quae sive extrinfecus forma cataplasmatis imposita, sive intus sumpta cum saponaceis remediiis salibusque neutralibus, quale tartarum regeneratum est vel aqua marina, aliquando saluti fuit.

UBI morbus ex duro tumore pendens diu permanxit, nulla salus plerumque speranda est; et lenimen solum moliendum est blando et leni victu robori confulendo, laxam alvum praestando, animi perturbationes fugiendo, excretiones suetas quam maxime justo modo servando, et omnia calefacientia aut stimulantia vitando.

UBI sterlus in colo impactum et indurescens peccat, catharticis lenioribus et clysteribus leniter stimulantibus mali causa tollitur.

Si uteri moles in foeminis gravidis morbum fecit, in latus sinistrum aegra recumbat, alvus mollis leniter hanc purgantibus servetur, et tempus, quo natura expulso partu noxae causam abstulerit, exspectetur.

Si quando ex colluvie in duodeno intestino pendet icterus, supra aut infra purgantia illam nullo negotio rejicient. Ad quod ipecacuanhae

cuanhæ pulvis, tartarum emeticum, vel rhabarbarum cum calomelane parvis portionibus, et medicamenta saponacea iis interposita, fatis erunt efficacia. Calculi variis rationibus expellendi sunt; saepe, ubi parvus calculus est, opiatо intus sumpto ejicitur. Verum, si plenus homo est, et inflammatio per doloris vehementiam significatur, semper ut sanguinis detractio largior fiat conveniet. Ea enim horum remediorum tutiorem usum reddit, scilicet, fomentorum mollientium et clysterum laxantium, saepius et per temporis spatium aliquid adhibitorum. Quae si frustra fuerint, in balneum homo vel totus, vel imus venter, et artus saltem inferiores demittendi, ibique per minuta aliqua retinendi sunt; sic enim calculi, praeductus magnitudine magni, expulsi saepe sunt: Dein, inflammationis signis remotis, vel etiam saeviente saepe morbo, supra et infra purgantia utilissima sunt.

Ea vero dupliciter agere videntur, scilicet, et spasmum resolvendo, et per validum stimulum incitando; quin et per emeticorum usum, aliis omnibus frustra adhibitis medicamentis, calculi saepe detruси sunt. Quorum quo certior effectus sit, iis semper anteire debent mol-

lia in alvum immissa, fomenta laxantia, balneum, et alia externa antispasmodica.

MORBUM ex calculis biliariis repetentem multi, victum summopere curantes, funditus sanare conantur. Neque defunt qui graminis et taraxaci succo, magna copia dato, perque diuturnum simul victus lactei et aquarum mineralium usum, se salutem * reduxisse dictitant. Postremo, nihil ejiciendo calculo accommodatius exercitatione modica in frigidiusculo coelo est, quoties ejus copia datur.

SPASMUM, ubi is solus morbum continet, varia supra memorata antispasmodica, saepe opiate sola, resolvunt. Idem his, cum afa fetida, castoreo, camphora conjunctis, raro resistit. Animi perturbationes leni paregorico confopiendae sunt; et, si somnus cum leni sudore inciderit, omnia bene procedunt.

UBI morbus jam diuturnus est, et per nulla supra memorata auxilia bilis in duodenum profluvium procedit, sive ob causae impedientis immobilitatem, sive quia ductuum latera concrevere, qui semper casus immedicabilis est, multi affectus ex bilis absentia intestinis innascuntur, quales sunt alvus durissima, acidum

* Van Swiet. com. in aph. Boer. tom. 3. p. 137.

dum in ventriculo, et similia: Ad ea prohibenda quantum fieri potest, motus intestinalium peristalticus ciendus est per amara, alcalescentia, saponacea, quotidie assumpta, et bilem animalium inspissatam. Itaque sapo cum rhabarbaro vel aloë succotrina, et plantae amarae, ut absinthia, centaureum, flores chamomeli, radix gentianae, aquae vel vino infusa, terque quaterve in die idoneis intervallis adhibentur. Sit viētus quam nutrientissimus, et qui sine magno organorum chylopoëticorum labore conficiatur; cibus saepius, sed exiguis, sumendus est; nec, si inflammatio abeat, vini generosi modicus usus negandus est.

POSTREMO, ad debilitati a diurnitate morbi orienti succurrendum, animus adjicendus est. Ergo, catharticis, stomachicis lenioribus, uti elix. sacro, tinct. rhabarbari, primae viae purgandae sunt; et amara roborantia, qualia sunt cortex Peruvianus, radix gentianae, flores chamomeli, cum elix. vitrioli, aqua chalybeata, lavatione frigida, et viētu bene alente, sumenda. Exercitatio quantum robur ferat, praesertim equitatio, juvat; neve alvus adstrictior fiat, quotidiano lenium purgantium usu cavendum.

... C A N T O I V

... and a single speech would suffice to make the
whole scene ring with glee, as the people
would be bound to say, "How funny he is!"
... He could not believe that the